

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **M. Tvllii Ciceronis Orationvm Pars ...**

**Cicero, Marcus Tullius**

**Coloniae Agrippinae, 1629**

In I. Catilinam, in senatv

[urn:nbn:de:bsz:31-116557](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-116557)

III.  
IN L. CATILINAM.

dem mihi libeat ascendere? \* illud perficiam profe. 29  
Et, Quirites, ut ea, quae si in consulatu, priua-  
tus tuear, atque ornem, ut si qua est inuidia in con-  
seruanda rep. suscepta, ladat inuidos, mihi valeat  
ad gloriam. denique ita ne in Rep. retractabo, vs  
meminerim semper qua gesserim, curemque ut ea  
virtute, non casu gesta esse videantur Vos, Quiri-  
tes, quoniam nox est, veneramini illum louem, cus-  
todiam huius vrbis, ac vestrum atque in vestra te-  
ta discedite, & ea, quanquam iam periculum est  
depulsam, tamen aequè, ac priori nocte fecistis, custo-  
dijis, vigilyque defendite. id ne vobis diutius faci-  
endum sit, atque ut in perpetua pace esse possitis, pro-  
uidebo.

IN L. CATILI-  
NAM, IN SENATV.

ORATIO XXII.

 Ideo, P. C. in me omnium vestrum  
ora, atque oculos esse conuersos: vi-  
deo vos non solum de vestro, ac reip.  
verum etiam, si id depulsam sit, de  
meo periculo esse sollicitos. est mihi  
iucunda in malis, & grata in dolore, vestra erga  
me voluntas: sed eam per deos immortales, quae so-  
deponite, atque obliti salutis mea, de vobis, ac de li-  
beris

R

beris

ORATIO IV.

*beris vestris cogitate. mihi quidem si hac conditio  
 consulatus data est, ut omnes acerbitates, omnes  
 dolores, cruciatuque perferrem: feram non solum  
 fortiter, sed etiam libenter, dummodo meo labori-  
 bus vobis populoque R. dignitas, salusque pariatur.  
 \* ego sum ille consul P. C. cui non forum, in quo om-  
 ni aequitas continetur: non campus, consularibus  
 auspicijs consecratus: non curia, summum auxilium  
 omnium gentium: non domus, commune perflugium:  
 non lectus, ad quietem datus: non denique hac sedes  
 honoris, sella curulis, vnaquam vacua mortis peri-  
 culo, atque insidijs fuit, ego multa tacui, multa per-  
 tuli, multa concessi, multa meo quodam dolore in  
 vestro timore sanavi. nunc, si hunc exitum consula-  
 tus mei dii immortales esse voluerunt, ut vos P. C.  
 populumque Rom. ex cade misera: coniuges, libe-  
 rosque vestros, virginesque Vestales ex acerbissima  
 vexatione: templa, atque delubra, hanc pulcher-  
 rimum patriam omnium nostrum ex foedissima  
 flamma: totam Italiam ex bello, & vastitate er-  
 riperem: quaeunque mihi vni proponitur fortuna,  
 subeat. etenim si P. Lentulus suum nomen, indu-  
 ctus à vatibus, fatale ad perniciem recip. fore pu-  
 tavit, cur ego non later meum consulatum ad sa-  
 lutem recip. propè fatalem extitisse? \* quare P. C.  
 consulite vobis, prospicite patriam, conservate vos,  
 coniuges, liberos, fortunamque vestras, populi R. no-  
 men, salutemque defendite: mihi parcere, ac de  
 me cogitare desinite. nam primum deo sperare  
 omnes deos, qui huic urbi president, pro eo mihi, ac  
 mereor,*

IN L. CATILINAM.

mereor, relaturos gratiam esse: deinde, si quid ob-  
 tigerit a quo animo paratoque moriar. neque enim  
 turpis mors forti viro potest accidere, neque im-  
 maturam consulari, nec misera sapienti. nec tamen  
 ego sum ille ferreus, qui fratris charissimi atque a-  
 mantissimi presentis mœrore non mouear; horum-  
 que omnium lacrymis, à quibus me circumfessum  
 videtis: neque meam mentem non domum sæpè re-  
 uocat exanimata vxor, abiecta metu filia, & par-  
 uulus filius, qui mihi videtur amplecti resp. tanquam  
 obsidem consulatus mei, neque ille, qui expectans  
 huius exitum diei astat in conspectu meo, gener.  
 moueor his rebus omnibus, sed in eam partem, vs  
 salui sint vobiscum omnes, etiamsi vis aliqua me  
 oppresserit. potius, quam vt illi & nos vna reip. pe-  
 ste pereamus. \* quare P. C. incumbite ad reip. salu- 4  
 tem: circumspicite omnes procellas, quæ impendent,  
 nisi prouideris. non Ti. Gracchus, qui iterum tribu-  
 nus pleb. fieri voluit: non C. Gracchus, qui agrarios  
 concitare conatus est: non L. Saturnius, qui C.  
 Menenium occidit, in disorimen aliquod, atque in  
 vestra seueritatis iudicium adducitur: sed tenen-  
 tur ij, qui ad vrbis incendium, ad vestrum om-  
 nium cadem, ad Catilinam accipiendum Roma  
 restiterunt, tenentur litera, signa, manus, denique  
 vniuscuiusque confessio: sollicitantur Allobroges:  
 seruilia excitantur. Catilina accersitur: id est in-  
 tum consilium, vt interfectis omnibus, nemo ne ad  
 deplorandum quidem populi R. nomen, atque ad la-  
 mentandam tanti imperij calamitatem, relinqua-

ORATIO IV.

5 rūr. \* hec omnia iudices detulerunt, rei confessi  
 sunt, vos multū iam iudicis iudicauistis: primum  
 quod mihi gratias egistis singularibus verbis, &  
 mea virtute, atque diligentia perditorum homi-  
 num patefactam esse coniurationem decreuistis: de-  
 inde, quod P. Lentulum, ut se abdicaret pratura,  
 coegistis: tum, quod eum & ceteros, de quibus iudi-  
 cauistis, in custodiam dandos censuistis, maxi-  
 meque, quod meo nomine supplicationem decreui-  
 stis: qui honos togato habitus ante me est nemini:  
 postremo hesterno die premia legati Allobrogum,  
 Titoque Vulturcio dedistis amplissima, quae sunt om-  
 nia eiusmodi, ut ij, qui in custodiam nominati  
 6 esse videantur. \* sed ego institui referre ad vos P. C.  
 tanquam integrum, & de facto, quid iudicetis:  
 & de poena, quid censeatis: illa praedicam, quae sunt  
 consulis. Ego magnum in rep. versari furorem, &  
 noua quadam misceri, & concitari mala, iam pri-  
 dem videbam: sed hanc tantam, tam exitiosam  
 haberi coniurationem à ciuibus, nunquam putau-  
 nunc, quicquid est, quocumque vestra mentes in-  
 clinant, atque sententia, statuendum vobis ante  
 noctem est. quantum facinus ad vos delatum sit,  
 videris. huic si paucos putatis affines esse, vebemen-  
 ter erratis. latius opinione disseminatum est hoc  
 malum: manauit non solum per Italiam, verum  
 etiam transcendit alpes, & obscure serpens mul-  
 tas iam prouincias occupauit. id opprimi susten-  
 tando ac prolatando nullo pacto potest. quacumque  
 ratio-

IN L. CATILINAM.

ratione placet, celeriter vobis vindicandum est.\* 7  
 video duas adhuc esse sententias: vnam D. Syllani  
 qui censet eos, qui hac delere conati sunt, morte  
 esse multandos: alteram C. Caesaris, qui mortis poe-  
 nam remouet, ceterorum suppliciorum omnes a-  
 cerbitates amplectitur. vterque & pro sua digni-  
 tate. & pro rerum magnitudine in summa seueri-  
 tate versatur. alter eos qui nos omnes, qui popu-  
 lum Rom. vita priuare conati sunt, qui delere im-  
 perium, qui populi R. nomen extinguere, puncto  
 temporis frui vita, & hoc communi spiritu non  
 putat oportere: atque hoc genus poena saepe in im-  
 probos ciues in hac rep. esse vsurparum recordatur.  
 alter intelligit, mortem à dijs immortalibus non  
 esse supplicij causa constitutam, sed aut necessita-  
 tem natura, aut laborum, ac miseriarum quie-  
 tem esse: itaque eam sapientes nunquam inuiti,  
 fortes etiam saepe libenter oppetiuerunt. vincula ve-  
 ro, & ea sempiterna, certè ad singularem poenam  
 nefarij sceleris inuenta sunt. Municipijs dispersi-  
 iuber. habere videtur ista res iniquitatem, si impo-  
 rare velis: difficultatem, si rogare. decernatur ta-  
 men si placet. \* ego enim suscipiam, & vt spero  
 reperiam, qui id, quod salutis omnium cause statu-  
 eritis, non putet esse sua dignitatis recusare. adiun-  
 git grauem poenam municipibus, si quis eorum vin-  
 cularuperit: horribiles custodias circumdat: & digna  
 scelere hominum perditorum sancit, ne quis eorum  
 poenam quos condemnat, aut per senatum, aut per  
 populum leuare possit: eripit etiam spem, qua sola,  
 R 3 homi-

ORATIO IV.

hominem in miserijs consolari solet : bona praterea publicari iubet , vitam solam relinquit nefarijs hominibus : quam si eripuisset , multas vno dolore animi ac corporis , & omnes scelerum poenas ademisset , itaq; vr aliqua in vit a formido improbis esset posita ; apud inferos eiusmodi quadam , illi antiqui , supplicia impijs constituta esse voluerūt : quōd videlicet intelligebant , his remotis , non esse mortem ipsam pertimescendam , \* nunc P. C. ego mea video quid intersit . si eritū secuti sententiam C. Casarij , quoniam hanc is in rep. viam , que popularis habetur , secutus est , fortasse minus erunt , hoc monitore & auctore huiusce sententia , mihi populares impetus pertimescendi . sin illam alteram secuti eritū , nescio , an amplius mihi negotij cootrahatur : sed tamen meorum periculorum rationes vtilitas reip. vincet . habemus enim à C. Casare sicut ipsius dignitas , & maiorum eius amplitudo postulabat , sententiam tanquam obsidem perpetua in rep. voluntatis : intellectum est , quid intersit inter leuitatem concionatorum , & animum verè popularem , Saluti populi consulentem .  
 IO \* video , de istis qui se populares haberi volunt , abesse non neminem , ne de capise videlicet ciuium Romanorum sententiam ferat . is & nudius tertius in custodiam ciues Roman. dedit & supplicationem mihi decreuit , & iudices hesterno die maximis premijs affecit . iam hoc nemini dubium est , qui reo custodiam , quastori gratulationem , iudici premium decreuit , quid de tota re & causa iudicavit . At vero C. Casar intelligit , legem Semproniam esse

IN L. CATILINAM.

esse de ciuibus Romanis constitutam: qui autem reip.  
 sit hostis, eum ciuem esse nullo modo posse: denique  
 ipsum latorem legis Sempronia iussu populi pœnas re-  
 ip. dependisse. idem etiam ipsam largiorem Lentu-  
 lum, & prodigum non putat, cum de pernicie reip.  
 & exitio huius vrbis tam acerbè, tamque crude-  
 liter cogitarit, appellari posse popularem. itaque ho-  
 mo mitissimus, atque lenissimus non dubitat P.  
 Lentulum aternis tenebris, vinculisque mandare: &  
 sancit in posterum, ne quis huius & supplicio leuan-  
 do se iactare, & in perniciem reip. posthac popularis  
 esse possit. adiungit etiam publicationem bono-  
 rum, vt omnes animi cruciatus, & corporis, etiam  
 egestas ac mendicitas consequatur. \* quamobrem II  
 siue hoc statueritis, dederitis mihi comitem ad  
 concionem po. R. carum atque iucundum: siue illam  
 Syllani sententiam sequi malueritis, facile me,  
 atque vos à crudelitatis vituperatione defendetis,  
 atque obtinebo eam multò leuiorem fuisse. quan-  
 quam P. C. qua potest esse in tanti sceleris im-  
 manitate punienda crudelitas? ego enim de meo  
 sensu iudico. nam ita mihi salua rep. vobiscum  
 perfrui liceat, vt ego, quod in hac causa vehe-  
 mentior sum, non atrocitate animi moueor,  
 (quis enim est me mitior?) sed singulari quadam  
 humanitate, & misericordia. videor enim  
 mihi hanc urbem videre lucem orbis terrarum,  
 atque arcem omnium gentium subitò vno in-  
 cendio concidentem: cerno animo sepultam  
 patriam, miseros, atque insepultos aceruos ciuium.

AB

ORATIO IV.

12 versatur mihi ante oculos aspectus Cethegi, & fu-  
 vor in vestra cade bacchantis. \* cum verò mihi pro-  
 posui regnantem Lentulum, sicut ipse se exfariispe-  
 rasse confessus est, purpuratum esse hunc Gabinium,  
 cum exercitu venisse Catilinam, tum lamentatio-  
 nem matrum familiàs, tum fugam virginum at-  
 que puerorum, ac vexationem virginum Vestalium,  
 perhorresco: & quia mihi vehementer hac viden-  
 tur misera, atque miseranda, iccirco in eos, qui ea  
 perficere voluerunt, me seuerum, vehementemque  
 praebeo. etenim quero, si quis paterfamiliàs, liberis  
 suis à seruo inrefecto, vxore occisa, incensa domo,  
 supplicium de seruo quàm acerbissimum sumperit:  
 vtrum is clemens ac misericors, an inhumanus &  
 crudelissimus esse videatur? mihi verò importunus  
 ac ferreus, qui non dolorem suum & cruciatum  
 dolore nocentis, & cruciatu lenierit. sic nos in ijs  
 hominibus, qui nos, qui coniuges, qui liberos no-  
 stros trucidare voluerunt, qui singulas vniuscui-  
 usque nostrum domos, & hoc vniuersum resp. do-  
 micilium delere conati sunt: qui id egerunt, vt  
 gentem Allobrogum in vestigijs huius vrbis, atque  
 in cinere deflagrati imperij collocarent: si vehe-  
 mentissimi fuerimus, misericordes habebimur: sin  
 remissiores esse voluerimus, summa nobis crudeli-  
 tatis in patria ciuiumque pernicie fama subeunda  
 13 est. \* nisi verò cuiquam L. Caesar, vir fortissimus, &  
 amantissimus resp. crudelior nudius tertius est vi-  
 sus, cum sororis sua scemina lectissima, virum praesentem & audientem vità priuandum esse dixit,  
 cum

IN L. CATILINAM.

cum auium iussu Cos. interfectum, filiumque eius  
 impubrem, ligatum à patre missum, in carcere ne-  
 catum esse dixit. quorum quod simile fuit factum?  
 quod in eum delenda reip. consilium? largitionis  
 voluntas tum in rep. versata est & partium quadam  
 contentio. atque illo tempore huius auus Lentuli,  
 clarissimus vir, armatus Gracchum est persecutus.  
 & graue tum vulnus accepit, ne quid de summa  
 dignitate reip. minueretur: hic ad euertenda fun-  
 damenta reip. Gallos accersuit, seruitia concita-  
 uis, Catilinam euocauit, attribuit nos trucidan-  
 dos Certhego, ceteros ciues interficiendos Gab-  
 binio: urbem inflammandam Cassio, totam I-  
 talias vastandam, diripiendamque Catilina. ve-  
 reamini, censeo, ne in hoc scelere tam immani ac  
 nefario nimis aliquid seuerè statuisse videamini:  
 cum multò magis sit verendum, ne remissione pena  
 crudeles magis in patriam, quàm ne seueritate a-  
 nimaduersionis nimis vehementes in acerbissimos  
 hostes fuisse videamini. \* sed ea quæ exaudio P. C. <sup>14</sup>  
 dissimulare non possum. iactantur enim voces, quæ  
 perueniunt in aures meas, eorum qui vereri viden-  
 tur, vt habeam satis presidij ad ea, quæ vos statueri-  
 tis hodierno die; transigenda. omnia prouisa, para-  
 ta, & constituta sunt P. C. cum meâ summâ cura  
 atque diligentia, tum multo etiam maiore pop. R. ad  
 summum imperium, retinendum, & ad commu-  
 nes fortunas conseruandas, voluntate. omnes ad-  
 sunt omnium ordinum homines, omnium denique  
 ætatum: plenum est forum, pleni omnes aditus huius

R 5 loci,

ORATIO IV.

loci, ac templi. caussa enim post urbem conditam  
 hac inuenta sola, in qua omnes sentiret vnum atque  
 idem. prater eos, qui cum sibi viderent esse pereundū.  
 cum omnibus potius, quam soli perire voluerunt.\*  
 hosce ego homines excipio, & secerno libenter: neque  
 enim in improborum ciuium, sed in acerbissimorum  
 hostium numero habendos puto. ceteri verò, dij im-  
 mortales, qua frequentia, quo studio, qua virtute  
 ad communem dignitatem, salutemque consentiunt?  
 quid ego hic equites R. commemorem? qui vobis ita  
 summa ordinis consilijque concedunt, vt vobiscum  
 de amore reip. certent: quos ex multorum annorum  
 dissensione, ad huius ordinis societatem, concordia-  
 emque reuocatos, hodiernus dies vobiscum atque hac  
 caussa coniungit: quam coniunctionem si in consu-  
 lato confirmaram meo, perpetuam in rep. tenueri-  
 mus, confirmo vobis, nullum post hac malum ciuile  
 ac domesticum ad vllam reip. partem esse venturum.  
 pari studio defendenda reipublica conuenisse video  
 tribunos ararios, fortissimos viros, scribas item v-  
 niuersos: quos cum casu hic dies ad ararium fre-  
 quentasset, video ab expectatione sortis ad commu-  
 nem salutem esse conuersos. omnis ingenuorum ad-  
 est multitudo, etiam tenuissimorum.\* quis est enim,  
 cui non hac templa, aspectus vrbis, possessio liberta-  
 tis, lux denique hac ipsa, & hoc commune patria so-  
 lum, cum sit carum, tum verò dulce atque iucun-  
 dum? Operapretium est P. C. libertinorum homi-  
 num studia cognoscere, qui sua virtute fortunam  
 emittatis consecuti, hanc verò suam patriam esse  
 iudi-

IN L. CATILINAM.

iudicant: quam quidam hinc nati, & summo nati  
 loco, non patriam suam, sed urbem hostium esse iu-  
 dicauerunt, sed quid ego huiusce ordinis homines  
 commemorem? quos priuata fortuna, quos com-  
 munit resp. quos denique libertas, ea, qua dulcissima  
 est, ad salutem patriae defendendam excitauit? ser-  
 uus est nemo, qui modò tolerabili conditione sit  
 seruitutis, qui non audaciam ciuium perditorum  
 perhorrescat, qui non obstare cupiat, qui non tan-  
 tum quantum audet, & quantum potest, corferat  
 ad communem salutis voluntatem. \* quare si <sup>17</sup>  
 quem vestrum forte commouet hoc, quòd auditum  
 est, lenonem quendam Lentuli concurrere circum  
 tabernas, pretio sperantem sollicitari posse animos  
 egentium, atque imperitorum: est id quidem ce-  
 ptum atque tentatum: sed nulli sunt inuenti tam  
 aut fortuna miseri, aut voluntate perdit, qui non  
 ipsum illum sella, atque operis, & questus quodidua-  
 ni locum: qui non cubile, ac lectulum suum, qui de-  
 nique non cursum hunc otiosum vita sua saluum  
 esse velint. multò verd maxima pars eorum, qui in  
 tabernis sunt, immò verd ( id enim potius est  
 dicendum, ) genus hoc vniuersum amantissimum est  
 scj: etenim omne eorum instrumentum, omnis ope-  
 ra ac questus frequentia ciuium sustinetur, aliter o-  
 cio, quorum si questus oclusis tabernis minui solet,  
 qui tandem incensis futurum est. \* quacum ita sim P. <sup>18</sup>  
 C. vobis populi R. praesidia non desunt: vos, ne populo  
 Rom. deesse videamini, prouidete. habetis consulem  
 ex plurimò periculis & insidijs, atque ex media  
 morte,

ORATIO IV.

morte, non ad vitam suam, sed ad salutem vestram  
 reseruatam, omnes ordines ad conseruandam remp.  
 mente, voluntate, studio, virtute, voce consentiunt,  
 obfessa facibus, & telis impia coniurationis, vobis  
 supplex manus tendit patria communis: vobis se,  
 vobis vitam omnium ciuium, vobis arcem, & Ca-  
 pitolum, vobis aras penatum, vobis illum ignem  
 Vesta perpetuum ac sempiternum, vobis omnia tem-  
 pla deorum atque delubra, vobis muros, atque vr-  
 bus tecta commendat. pratereq; de vestra vita, de  
 coniugum vestrarum ac liberorum anima, de foro  
 runis omnium, de sedibus, ac focus vestris hodierno  
 19 die vobis iudicandum est. \* habetis ducem me-  
 morem vestri, oblitum sui: qua non semper facultas  
 datur. habetis omnes ordines, omnes homines, v-  
 niuersum populum Rom. id quod in ciuili caussa ho-  
 diearno die primum videmus, vnum atque idem sen-  
 tientem. cogitate, quantis laboribus fundatum im-  
 perium, quanta virtute stabilitam libertatem, quan-  
 ta deorum benigmitate, auctas, exaggeratasque for-  
 tunas vna nox penè deleuit, id ne vnquam posthac  
 non modò confici, sed ne cogitari quidem possit, vo-  
 bis hodierno die prouidendum est, atque hac, non vt  
 vos, qui mihi studio penè præcurritis, excitarem,  
 locutus sum, sed vt mea vox, qua debet esse inrep-  
 20 princeps, officio functa consulari videretur. \* nunc  
 antequam ad sententiam redeo, de me pauca di-  
 cam. Ego quanta manus est coniuratorum, quam  
 videtis esse permagnam, tantam me inimicorum  
 multitudinem suscepisse video: sed eam esse iudico  
 tur.

IN L. CATILINAM.

zurpem, & infirmam, contemptam, & abiectam:  
 quod si aliquando alicuius furore, & scelere con-  
 citata manus ista plus valuerit, quam vestra ac-  
 reip. dignitas: me tamen meorum factorum, atque  
 consiliorum nunquam P.C. poenitebat. etenim mors,  
 quam illi mihi fortasse minitantur, omnibus est pa-  
 rata: vita tantam laudem, quanta vos me vestri  
 decretis honestatis, nemo est assecutus. ceteris enim  
 semper bene gesta, mihi vni conseruata reip. gra-  
 tulationem decreuistis. \* sit Scipio clarus ille, cuius 21  
 consilio atque virtute, Annibal in Africam redire,  
 atque ex Italia decedere coactus est: ornetur alter  
 eximia laude Africanus, qui duas vrbes huic impe-  
 rio infestissimus, Carthaginem, Numantiamque  
 deleuit: habeatur vir egregius L. Paullus ille, cuius  
 currum rex potentissimus quondam, & nobilissi-  
 mus Perses honestauit. sit in aeterna gloria Marius,  
 qui bis Italiam obsidione, & metu seruitutis libe-  
 ravit: anteponatur omnibus Pompeius; cuius res  
 gesta, atque virtutis iisdem quibus solus cursus, re-  
 giombus, ac terminus continentur. erit profectò in-  
 ter horum laudes aliquid loci nostra gloria. nisi for-  
 te maius est patefacere nobis prouincias, quò exi-  
 re possimus, quam curare: vt etiam illi, qui absunt,  
 habeant quo victores reuertantur. \* quanquam est 22  
 in vno loco conditio melior externa victoria, quam  
 domestica: quod hostes alienigenae aut oppressi ser-  
 uunt, aut recepti beneficio se obligatos putant. qui  
 autem ex numero ciuium dementia aliqua de-  
 prauati, hostes patria semel esse ceperunt, eos, cum  
 a per-

ORATIO IV.

à perniciè reip. repuleris, neque vi coercere, neque be-  
 neficio placare possis. quare mihi cum perditis ciui-  
 bus aeternum bellum susceptum esse video: quod ego  
 vestro bonorumque omnium auxilio, memoriaque  
 tantorum periculorum, quæ non modò in hoc popu-  
 lo qui seruatus est, sed etiam in omnium gentium  
 sermonibus ac mentibus semper hærebit, à me, atque  
 à meis facillè propulsari posse confido. neque vlla pro-  
 fectò tanta vù reperietur, quæ coniunctionem ve-  
 stram equitumque Rom. & tantam conspirationem  
 bonorum omnium perfringere, & labefactare pos-  
 23 sit. \* quæ cum ita sint, Patres conscripti, pro impe-  
 rio, pro exercitu, pro prouincia, quam neglexi, pro  
 triumpho, ceterisque laudis insignibus, quæ sunt à me  
 propter vrbis, vestraque salutis custodiam repudiata:  
 pro clientelis, hospitijque prouincialibus, quæ tamen  
 urbanis opibus non minore labore tueor, quàm com-  
 paro: pro his igitur omnibus rebus, & pro meis in  
 vos singularibus studijs, proque hac, quam conspiciis,  
 ad conseruandam remp. diligentia, nihil aliud à  
 vobis, nisi huius temporis, totiusque mei consulatus,  
 memoriam postulo: quæ dum erit vestris mentibus  
 infixæ, firmissimo me muro septum esse arbitrabor.  
 quod si meam spem vù improborum fefellerit, atque  
 superauerit, commendo vobis paruum meum fili-  
 um: cui profectò satis erit presidij non solum ad sa-  
 lutem, verum etiam ad dignitatem, si eius, qui hæc  
 omnia suo solus periculo conseruauerit, illum esse  
 24 filium memineritis. \* quæ propter de summa salu-  
 te vestra populique R. P. C. de vestris coniugijs, ac  
 libe-

IN L. CATILINAM.

liberis, de aris ac focis, de fanis ac templis, de rostris  
urbis rectis ac sedibus, de imperio, de libertate, de  
salute Italia, deque vniuersa rep. decernite diligen-  
ter, vt instituisſis, ac fortiter. habetu enim consulem,  
qui & parere vestris decretis non dubitet: & ea qua  
statueritis, quo ad viuet, defendere, & per se ipsum  
praestare possit.

PRO L. MURÆ-  
NA.

ORATIO XXIII.



VAE precatus sum à dñs immorta-  
libus, iudices, more institutoque maio-  
rum illo die, quo auspicato, comitijs  
centuriatis, L. Muranam consulem re-  
nunciavit: vt ea res mihi, magistratui-  
que meo, populo plebique R. bene atq; feliciter eueni-  
ret: eadem precor ab hsdem dñs immortalibus ob e-  
iusdem hominis consulatum vnà cū salute obrinendū,  
& vt vestra mentes atque sententia cum populi R.  
voluntate suffragijsque consentiant: eaque res vobis  
populoque R. pacem, tranquillitatem, otium, concor-  
diamque afferat: quod si illa solennis comitiotorum  
precatio, consularibus auspicijs consecrata, tan-